AUGUSTINI
GIUFFRIDA
EX ARCHIATRIS CATANENSIBUS

A D

JOSEPHUM FERDINANDUM

FILIUM

VARIOLARUM DISQUISITIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

Digitized by Google

I.

INter patriam inſtitutionem, & alienam, Joſeph fili, vitæ mihi dulcedo pariter, & gloria, hoc intereſſe prima fronte proſpicimus, quod Pater, & acriùs edifferens, & perſeverantiùs, nec quieſcit, niſi poſtquàm aſſecutus opinione eſt, in audientis mentem irrupiſſe, inſediſſeque præceptiones; nec poteſt ad interrogata probabiliter reſpondentem, tuto, laudabilique conſilio commendare: Magiſter, ſiquis alius, lentè admodùm ſeſe recipit in animum Diſcipuli; & dum plaudit, videtur ad celebritatem properanti veluti admovere calcaria. Uter edocendo ſit accommoda-

tior; uter veriora ſuggeſſerit; non ita facilè veniet ſub intellectum, ut queat indubitabili ratione demonſtrari: arbitror idcircò prætereundum ſilentio. Plurimum ad rem facere patientes ediſcentis aures, inclytique nominis haud infractam cupiditatem, adeò certum eſt, ut ſermo ſobrius vel in dubium trahere dedignetur. Tù itaque ſatis, abundèque (ni mea me ludat amabilis inſania) philoſophicis inſtructus, ad capeſſenda quæ ſunt Medicorum, antiquæ parem adhibe tui muneris implendi, tuæque in me obſervantiæ cauſsâ, diligentiam. Te ſanè recentem quaſi teſtam meæ rivulo doctrinæ connitar exiſtimator imbuere; non autem Magiſter exſaturare: nolo enim, ut diu, ſemperque ſerves, quod primùm ingenuo, inque alterius verba jurato animo exceperis: abluent ſapientiæ ſuæ ſalſo flumine Præceptores, quibus tergendum aliquando credidero, abſolvendumque. Si non receſſeris a te ipſo, & me contemptorum linguis eripies; & vitabis acriora lixivia. Compone te ad laborem, laboriſque mercedem, gloriam; rectè mehercle tibi, mihique procedent univerſa. Quæſtionem igitur, quæ & inquiſitu, & ſcitu digna ſit, moveamus, pro noſtra virili conſtituturi: nempe de variolarum effectrice cauſſa, cauſſæque id genùs vincendæ medicina.

II.

II.

QUid Medicis Variolæ ſonent, non laborandum, ut intelligatur, ne de rebus ante oculos quacumque methodo poſitis diſputare videamur. Abſceſſus exigui ſunt, qui cutem univerſam invadunt, faciem præcipuè, manus, pedes: nec aſperam Arteriam, Interanea, Extaque olim omnia prætereunt; & vergunt demùm in ſuppurationem. Tria contentiùs arripias, obteſtor, immo præcipio; non quòd lateant occulta, meoque jam nunc digito proferantur; ſed quòd animis aliò adjectis, non eâ, quâ debent conſideratione perſpiciuntur. Primum, variolas fuiſſe morbum vetuſtiſſimis prorſus incognitum; ideoque prorſus novum poſterioribus. Alterum, eaſdem contagione graſſari, & quod maximum inoculatione; perque annalia, fermè definita, intervalla recurrere. Tertium, Infantes, plerumque, & omnes quidem, & ſemel infeſtare. Præſentio futuros, qui te redarguant, vetentque meam ſuſpicere induſtriam, qua duce nihil antiquius inſtitutione tua exiſtimavi. Jubeant faſtidioſo nutu non tanti mea fieri, ut fixum, ratumque habeas, quodcumque dixerim. Elevent æmulatu meam auctoritatem, non irriſione; iis enim, non apparet, unde plus, quàm mihi ſit ponderis in hac Univerſi Schola Catanenſi. Jam verò quum ipſa re, & ratione veritatem omiſſis aucto-

ritatibus inquirere non placeat; addam, quibus & ipſe vehementiùs ad conſentiendum moveare; & ii nullo rubore verecundiæ non contradicant. Conſule Plinium in libro naturalis hiſtoriæ 26., & leges: *Senſit & facies Hominum novos, omnique ævo priore incognitos, non Italiæ modò, verùmetiam Univerſæ propè Europæ morbos: tunc quoque nec tota Italia, nec per Illyricum, Galliaſve, aut Hiſpanias magnoperè vagatos, aut alibi, quàm Romæ, circàque: Sine dolore quidem illos, ac ſine pernicie vitæ; ſed tanta fœditate, ut quæcumque mors præferenda eſſet; Graviſſimum ex his Lichenas appellavere. Non fuerat hæc lues apud majores, Patreſque noſtros &c.* Cur omnium morborum genitricem putes omnem regionem? Ad rem propius. Conſule Fernelium, Fonſecam, Pererium, Toubertum, Mercurialem, quos quum remotiore memoria repeto, & appello, quales è veteribus, quantoſque viros offeram, non potes lubentiſſimè non profiteri. Ineluctabili perſuaſione conficiunt, nunquam apud Antiquiores viſas eſſe variolas. Quid proximiore productus Martinus Liſterus? *Illud ſatis demonſtrat, hunc morbum novum eſſe, quòd in multis Mundi partibus nuſquam viſus fuit, ut apud Indos occidentales, ubi nunquam apparuit, niſi poſtquam Hiſpani eò pervenerunt.* Quid Jacobus a Caſtro? *Si inquiramus originem bujus morbi, nobis evidentiſſimè patet, eſſe novam: nulla enim traditur deſcriptio illius*

Digitized by Google

lius a veteribus. Quid, ut plurimos prætercam, Aſtruc ubi de morbis venereis? *Variolæ in Europa alienigenæ ſunt*. Secundùm igitur veræ hiſtoriæ, criticeſque noſtrorum temporum aſſerta fuerit morbi novitas in compertis: ac ut variolæ, ſic Peſtis, ſic Tabum gallicum,

Si ſic elephas Sacer Auſoniis incognitus oris.

Propterea auctor ſum, ut contentus conſcientiæ pręmio gloriam alienæ viventium adprobationis ne requiras: noſti etenim, quæ facillimè in animos æmulatio ſerpit, eam ipſam in invidiam latenter evadere. Utinam irrupturi noviter ne ſint aliquando morbi, quos præfinivit, certiſque temporibus alligavit, culpas noſtras ultura ſupremi Numinis indignatio; & tam falſus irridear vates, quàm verus haberi volo novorum iſtiuſmodi abſceſſuum aſſertor, & propugnator. De contagione, deque regreſſu, ne verbum quidem fecerim: neque enim te, aut alium quempiam immemorem adeò, malèque animatum eſſe, reputarim, ut poſſis ignorare, variolas in proximum damni capacem tranſilire ſolitas, ſolitaſque poſt aliquot annos revertere. Siquid habere difficultatis inoculatio videbitur, explicaverit experientia, in quam tuo jure venias: ſucceſſibus monſtravere, quæri nodum, uti ajunt, in ſcirpo, Jacobus a Caſtro, Gualterus Harris, Antonius le Duc, Ipſi Noſtrates Aſclepiadæ: quare dilabor ad quod propoſuimus tertium, ne uſque ad faſtidii neceſſitatem extendatur oratio.

Com-

Communis Medicorum perſuaſio, variolas inter infantiles morbos enumerantium, obtinet eſſe puerorum proprias: & quamquam occurrit, qui ſeriùs aut in juventa corripiatur, aut in ſenecta, ſententiæ nihil refragari judicandum eſt. Sunt, qui recedunt a pueritia, non dimiſſa puerilitate, ſi mores introſpiciamus: quare non, ſi temperamentum? Uni omnium Arabum diligentiſſimo variolarum deſcriptori Avicennæ te credito, & conſtantem doctrinam hauries ad uſque recentiſſimos. *Plurimum*, ait ille, *accidant variolæ infantibus: deinde juvenibus; & minoratur earum eventus in ſenibus*. Et Boerhaavus: *Occupant omnem ætatem, ſexumque, maximè autem pueros*. Nec diverſo præceptus conſilio reſpondeo, ſi ſciteris, num omnes homines, num ſemel invadantur: plerumq, omnes plerumq; ſemel. Audio Williſium edocentem apparere peculiare febrium genus, hominibus quidem proprium, ſed alio modo, quàm Porphirius aſſignavit, nimirùm convenire *omni homini ſoli*, *& ſemel*. Nec aliter philoſophatus videtur Mercurialis, ubi hæc: *Inter proprietates hujus morbi, hæc maximè omnium illuſtris eſt, quod omnes homines hac labe aliquando tentantur: dicebat Avezoar capite ultimo ſuæ medicinæ, miraculum eſſe ſi aliquis homo vivens evadat ab hoc morbo, & potiùs Dei beneficio adſcribendum eſſe, quàm alteri cauſſæ*. Sed ſtat contra Sylvius de le Boe, qui vidiſſe plures affirmat ad ætatem ſenilem perductos, &

mor-

mortuos, quin paſſi variolas fuerint: & Liſterus habet: *Fatendum eſt, aliquos illa felicitate natos eſſe, ut integri, & valdè ſenes moriantur*. Hùc ſpectat Ettmullerus, alii; quorum monumenta, quum in publica ſint luce, ſupervacui foret operis, & immenſi, hùc omnia convectare. Sit aſſertum teſtatiore fide firmum; ſit & eodem merito credibile poſtremum, nempe quoſdam plus vice ſimplici correptos. Nonne vocem *plerumque* non aliud ſignificare, compertiſſimum eſt? Peperere Mulæ: ſed hoc ita raró extitit, ut, ſi quando auditum ſit, portenti, prodigiique ſimile numeretur.

III.

HIS non otioſa, ut arbitror, inſpectione tractatis, preſsè, curſimque referamus accidentia, quæ ſolent jamjam erupturas anteire variolas. In re manifeſtiſſima teſtibus parcemus; negabundus enim nemo erit, niſi quàmſimillimus imperiti apud Lucianum Æthiopis, qui albos homines, quòd vidiſſet nunquam, præfractè contendit, tales in rerum natura nuſquam reperiri. Antecedunt igitur ſenſus levis morſicationis circa nares ad ſcalpendum invitans, vehementes faciei totius punctiones, rubor inſolens oculorum, lacrymæ, phlegmone, raucitas, ſputum noxia craſſitate denſum, ſpiritus difficulter actus, prægra-

vis

vis dorſi, capitiſque dolor. Sunt qui horrore ſuccuſſantur; qui vomitant; qui laborioſum in ſudorem exſolvuntur. Sunt qui alto ſomno: qui phreneſi prehenduntur; qui demum convulſione; ut infantibus dentitionem prætervectis inſultans epilepſia fidem faciat pro Sydenhamii judicio indubitabilem adſtantium variolarum. A primo enarratorum proſpectu ad tertium, quartum, quintum uſque diem pugnatur, nec ullum morbi hujus argumentum, niſi ab regnante contagione: quæcumque enim oſtendunt malum, malignam febrem, aut coacto, aut eliquato ſanguine patefaciunt. Poſthæc ad decimumquintum uſque extuberant veſiculæ, vel diſcretæ, vel confluentes, implentur exedente liquore, pro cujus ingenio colorem offerunt; ſuppurant; imminuuntur abactâ, modo ut aſſolet inſenſibili, materiâ, febre ſenſim evaneſcente; reſiccantur; elabuntur quaſi furfuraceæ ſquamulæ.

IV.

SEntentiam illam probabiliorem multo, & acceptiorem habendam eſſe; quando rerum occulta cauſſa requiritur, ac determinatur, quæ methodo laudabiliore, qualicumque ea pariat, aſſequitur, explicatque; Tibi non minus, quàm philoſophanti cuicumque, judico perſuaſiſſimum: nemo enim niſi hoſpes in rationis regione poterit

ad-

addubitare: Itaque præclariora eorum, qui agmen duxere, cogitata recenſeamus: inde nullis propemodum adminiculis, ſed ut dicitur, Marte quaſi noſtro inquiſitionem abſolvemus. Hæc non eò dico, ut ubi labare tantorum conſilia viſa fuerint, noſtrum ratum, fixumque deliberes; verùm quò ſplendidioribus, diuque mentes obſidentibus ne capiare, & quæras novas admittere conjecturas. Menſtrui ſanguinis, quo Fœtus in utero creditus ali eſt, culpant alii reliquias: lac alii criminantur: alii cœleſtium Planetarum novercales aſpectus; vel aeris ipſius, quem continenter ducimus iniquiorem qualitatem. Fac memineris Williſianæ fermentationis, luce mehercle non evanida perfundes diſputationem: immo, ſi volenti erit, producam ex Arabibus Principem Avicennam, ut doctrinæ conſtantiam adſtruas. *Accidit*, inquit, *in ſanis ebullitio ſecundum ſemitam putredinis cujuſdam de genere ebullitionum, quæ accidunt in ſuccis, & de hoc eſt, cujus cauſſa eſt res quaſi naturalis faciens ebullitionem ſanguinis, ut expellatur ab eo illud, quod admiſcetur ei de reliquiis ſui nutrimenti menſtrualis, quod erat in hora imprægnationis*. Accepiſtin? Nutritus impuro ſanguine fœtus dum utero inhibetur, in eam poſthac ebullitionem humorum urgetur, quæ velut exoticum, nimiſque hoſtile fermentum ſeparet, exturbet, eliminet. Id alia ſub ætate, aliave temperie non abſolvitur, quàm ubi vigorari cæ-

 pta

pta Natura eſt; ubi quod inſidioſè latuit, caput pro diuturnitate ferocius extulit; & bellum inteſtinum exſuſcitavit. Nec mirum id ſemel, & omnibus evenire; quum ſemel, & omnibus iſtiuſmodi perduellis humor in ſpeciem nutritionis ingeratur. Omnia luculentè: ſed illud preſſius intuendum eſt, utrum ad veritatem: quare faceſſentibus, quæ ad oſtentationem loquacitatis, vetuſtatiſve agitantur; audiendum arbitror Ettmullerum de re, cujus vel ipſe ſum manifeſtiſſimus adſtipulator: *Fœtus in utero non ſanguine menſtruo, ſed potius nutrimento lacteo, ſeu chyloſo ſuſtentatur: deinde non omnes mulieres ſunt adeò morboſæ, ut neceſſariò exinde pro variolis fomitem contrahant infantes. Si ſanguis maternus corruptus eſſet cauſſa certa variolarum, fieret, quod aut lochiis ſuppreſſis, aut etiam menſibus, & ſic neceſſario corruptis, ſemper generarentur in puerperis variolæ.* Totumne probem? Fortaſſe neutiquam: quod ævi noſtri tamen Medicina ductu Anatomes omninò refellit; Sanguinem ſcilicet a Matre ad prolis alimentum irreptare; quis neget eſſe argumentum, unde opinatio propoſita pro malè jactis fundamentis evertitur? Una fuit ab Hêva ad noſtras fœminas, & quibuſcumque ſanè in regionibus, nutrimentum ſuppeditantis uteri conditio: cur nec ſemper, nec ubique variolæ? Quid ſi huic malo paratior eſt, qui valetudine fruitur inculpatiore? Expurgandis pueris, nonne ulcera

ca-

capitis, Achores, aliave generis ejuſdem nullo ſtato tempore, nulla bacchante contagione ſuccurrunt? Cur variolæ vanam hanc oſtenderent Naturæ ſolertiam? Per nonnullos ab aeris certo quodam ſale corrogatum opinione ſubſidium, mihi nec ignoratio negat, nec memoria ſubtrahit: Definitis, inquiunt, intervallis ſal peregrinus per aera dilatatus inibit cum menſtruorum reliquiis bellum, unde abigentur ad cutim inimicæ, protritæque particulæ. Verùm ſatis aptam explicationem non reperio, dum inquiro, quamobrem & minutorum abſceſſuum figuram efferunt, non magnam, non æqualem ſepoſitionem, non uberrimum ſudorem: & quin ob novos conflictus immutentur, inoculatione tranſiliunt. Nec firmiore ſtare talo videtur alterum pro lacte conſilium; vix enim arietatum & contagionis methodo; & facti in quibuſdam regionibus novitate proruit, ac demolitur. Tertium ab inimico tractum aſpectu Planetarum, iis demando, qui novere celſiſſimum in volatum aſſurgere. Per me liceat errare impunè, ſicut & vera proferre, ſed ſine intellectore. Loquantur ad pauciſſimos, & ſui ſimillimos: ſi me, vel te contenderent inſtituere, ad ignotiſſima non urgerent. Rationem, per quam, qui dexter, qui ſiniſter ſit aſpectus intelligi valeat, nullam ſatis firmam accepi unquam. Scio petendam dici ex configurationibus quadrangularibus, triangularibuſque, tum ſe ex ſexangulo

intuentibus Planetis: & permultum referre a dextrone, an ſiniſtro latere locus aſpiciatur: ſcio morbos dici futuros pro ſtellarum naturis, ac minitationibus. Verùm excipiendis, ſiqui ſint, influxibus poſitura terræ tantam facit diverſitatem, & diverſitatis varietatem tantam, ut morbus hic unus idemque fingi nequeat, qualis ob oculos ubique gentium ponitur. Præterea variolas recurrere vidimus tempore non ita prorſus definito, ſingulis quinque, verbi cauſſa, vel ſex annis, ut non modò poſt quinque modò poſt octo: motum Planetarum, ut nihil ſupra, conſtantem novimus. Puer unus malo prehenſus, & Panormo ad nos delatus alios, quos hic poſſet, contagione corrumperet: quid Planetæ adverſus integros ceterà Catanenſes? Profecto nihil. *Nulli ſunt apud fortunatas inſulas*, ajebat Pontanus lib. 12. de reb. Cœleſtib. *Rhetores, aut Juriſconſulti, quòd nullæ iis in inſulis ſint Reſpublicæ, literæ nullæ, leges item, quæ ſcripto ſanciant, nullæ: neque aliis quàm Naturæ ipſius inſtitutis vivunt Inſularum earum Incolæ. Nec tamen Mercurius, qui elocutioni præeſt; nec Juppiter, qui æquitati, & juri; nec Mars, qui lites excitat, alitque, eas Inſulas, eoſque homines e Cœlo non ut Hiſpaniam, ut Africam, ut ejuſdem climatis inhabitatores rabiie ſuis intuetur, atque afficit*. Cur ſub benignis, perpetuiſque radiationibus nulli Rhetores, Bellicoſi nulli? ſub malignis, quibus obſiſtitur, nec

diù

diù perſeverantibus fuerint varioloſi? Terra eorum, quibus olim incognitus morbus, an ſemper extra Planetas? Sed ſua tamdiu ſibi habeant; qui vel talium Superorum munere philoſophantur; quoad eorum intelligentiam nobis alia mente agitatis faciant lucidiorem: vereor ne uti nondum licuit, ita poſthac ne liceat quidquam agnoſcere. Nec eſt quamobrem diutius te morer in exquirendis malo paribus aeris affectionibus. Potes, ſi voles, velle autem admodum debebis, noſtram Italico ſermone ſcriptam, & jamdiù typis evulgatam de cauſſa Peſtis academicam exercitationem conſulere: multa leges, quæ hùc pertineant, augeantque probabilitatem. Ipſe recenſerem quidem, ni vitandam potiùs ducerem frigidæ in ſcribendo nimietatis injuriam. Sydenhamii, qui Boerhaavo mereri viſus eſt, ut ſuper variolis decies legatur, ingenuum judicium, ingenuis facultatem decernendi faciet, quàm nulla ſit cauſſa, quæ aeris ingenio tribuitur. *Quæ*, ait ille, *qualiſque ſit aeris diſpoſitio, a qua morbificus hìc apparatus promanat; Nos pariter, ut complura alia circa quæ vecors, & arrogans Philoſophorum turba nugatur, planè ignoramus*. Ignorant cauſſam, qui defendunt, alioſque docent: quam quæſo qui docentur excluſerint, admiſerintve? Deſideraſne ampliora, ut quamcumque opinationem convellant? Audi Jacobum a Caſtro ubi de Traſplant. variol. *Ut omninò verùm fatear, agnoſco me non*

noſſe

reſſi morbi hujus cauſſam procatharticam. Quò te adhorter unde ad animi voluptatem veri cognitio: unde ad vitæ commoditatem efficax id genus cauſſam debellatura Medicina? ſed fortaſſe vel hinc, & noſtra conjectura firmabitur, & recti medicatûs enaſcetur occaſio.

V.

MIſſis igitur opinionibus, quæ pro veris hactenus inolevere; in medium ita profero. quibus ad aliter æſtimandum trahor, ut tuum, aliorumque ſit de mea æſtimatione judicium. *Peſtilentium morborum ritu*, inquit Sennertus, *per intervalla quædam redeunt variolæ*: Cur non arbiter & Peſtis, & horum abſceſſuum originem fore quàmſimillimam? Non deſtituor conſiderantiſſimorum Hominum adminiculis; mâlim tamen, ut momenta probabilitatum, non Auctorum tua & obſervet diligentia, & animadvertat ſedulitas. Sint inſecta, quorum vel examina ventis ab una in aliam regionem deferantur; vel plura certis quibuſdam inhæreſcentia pueris aſportentur: procreent de more ſimilia: & in vicinum, eumque Hominem, quo pabuli odore pertrahuntur, exſiliant: quid tum? problematum feliciorem habebis explanationem. Lanciſius, Valliſnerius, Bocconus, & quotquot peſtem, lepram, pſoram inſectis adſcripſere, non aliter de variolis ediſſeren-

rendum evincunt: adeſt his Calmet, additque: *vermibus ſcatere variolarum puſtulas, ope micro- ſcopii Berillus deprehendit.* Et Liſterus inquiſitionem talibus claudit: *Igitur reſtat infectionem primùm ortam eſſe ex aliqua beſtiola venenata.* Creati ab Superum, hominumque immortali ſatore Deo, unde cuncta facta ſunt, tamdiu velut proprio focillati nido in aliqua Mundi parte jacuere vermiculi, quoad illuc temerè appellentes, & noviter adoleſcentuli exceperint, foverint, ad Arabos exportarint. Nec errore vel levi tenebe- ris, id ſi quandoque factum dixeris vento, qui verbo Domini ſervierit. *Sunt morbi*, ſic loquuntur Calmet, & Clericus, *quos ſtatis quibuſdam temporibus, & in certa quædam regna Dei providentia immittit.* Tale peſtis in Siciliam locuſtæ, denſiſſima illa minutorum animalium examina, quæ ab auſtralibus, ac orientalibus plagis ad noſtras ſegetes, ad vineas, ad plurimas leguminum genitrices plantas devaſtandas viſa ſunt emigrare. Quis hinc non apertiùs adprobet variolarum, & novitatem, & reditum? Si temperamentum aut incolarum, aut aeris alienigenas beſtiolas inclementiùs exceperit; abſoluto intra menſes, quod veluti per Colonias tranſvectum eſt, bello, ceſſabitur: Siquæ ſupererunt, agent mitiùs, vel civitate donabuntur, nec ita lædent, ut maniſeſtò deprehendantur injuriæ. Invadentes univerſam cutim, & majore quidem turma hujus par-

particulas pabulo pleniores, excitant perinde veſiculas, atque cantharides, & quandoque pro feritate ſubeunt interiora: Feruntur procliviùs quò poteſt aer pertingere, maxima ideoque aſperæ arteriæ moleſtia: nec vel Fœtum utero concluſum aliquando prætereunt. Jamverò tibine facient negotium prurientes nares, extractæ lacrimæ, tuſſis, horror, ducendi ſpiritûs anguſtia? Contemplator acre, quod evomunt, virus; impetitorum temperamenta contemplator: attinges mehercle, cur modo furere videbuntur humores, eaque omnia parere, quæ nimiis attribuuntur agitationibus: modò cogi, & mala, quæ ſunt a ſtagnantibus, intentare. Sed cur omnes homines adoriantur? cur infantes? cur ſemel? Effluunt ab unoquoque corpore præſertim animali particulæ multò exiliores; ſparguntur, ut certam quamdam ſphæram impleant; & inſecta pelliciunt ad corpus, vel ab eo repellunt. Si cunctis planè hominibus definitus eſt Naturæ inſtituto ſuccus, unde halitus excedant, uti ſuus odor quamquam perpetuus, ſaporque ſuus Cuniculis, Perdicibus, Vulpibus; mirum credi nemini debet, omnes homines eſſe minutis id genus animalibus obnoxios. In hanc explicationem veniant, neceſſe eſt, quicumque aliam experti ſunt Gallinarum, Boum aliam, aliam Hominum peſtem: ab his enim eruendum, quamobrem Homines perdat, Boves non item. Quid ſi temperie ſub infantili ſuccus evadit

dit in acceptionem beſtiolis cibum ? Infantes mehercle ad tolerandam moleſtiam adigentur : non omnes verò ſimul , quòd ſuccum non omnes intra eadem temporis intervalla perficiunt : Dentitio primæ debetur ætatulæ ; ſequenti dentium commutatio : an ſexto cuncti menſe dentiunt : anno cuncti ſeptimo in novis delectantur? profectò neutiquam . Si quem infantiam longiſſimè prætergreſſum temperies infantilis , expoſitique ſucci parens non dimiſit , quàm ſerò in variolas incidet ; modò hæ recurrant ex ordine Providentiæ , antequam ille vitam claudat . Poſtremò , quia procedens ætas diverſum procreat humorem , diverſumque carnium ingenium non dat alimentum infectis accommodatum ; immo dat quod eſt repugnaturum . Cur non profitebere ſubeundum ſemel periculum ? Accepiſti unum aliquem vel ſenio confectum iſtiuſmodi malo non tentatum ; hunc imaginare ineptum ad beſtiolas admittendas, quòd cibum præſtare nondum potuit , dum contagione furebant : exinde pro ætate immutatum etiam redeuntes abegiſſe : Accepiſti , morbum quaſi tranſvolare in proximum , qui capax fuerit : ita habet : novum quidem non eſt , vermiculos aſſurgere ad alas membranoſas : cur ab uno in aliud ſubjectum odore ducti non tranſiliant ? Brachium quaque ex parte libratum , & medium in gallinario ſuſtine : cogêris quædam altilium infecta dimiſſo nido perpeti , & aſportare . Sed ino-

culatione, iis non fallaci, in quos immiſſa per Deum examina fortè non incurrerunt, purè ſaginata, fæturâque celerrimâ, & multiplici in agmen evaſura deferuntur: & ſui nobis argumentum ſuggerunt ineluctabile. Verùm ne ſim in ſermonem effuſior, quàm videtur inquiſitio poſtulare, commoneo, ab his diù, multumque penſitatis, & ſimili a ſegetibus, variorumque animalium peſte producto, nihil supereſſe, quòd ingenuo veritatis inveſtigatori non ſatisfaciat.

VI.

PRognoſticon, undecumque variolæ trahant originem, inter rectè philoſophantes indubitatæ conſtat eſſe ſententiæ: ſcilicet oppugnata viſcera maniſeſtiſſimis ſeſe prodent indiciis, & quanta, qualique ſtrage ſternuntur, aperient: Eorum igitur merito periculum proſpiciendum eſt, enunciandumque. Acritudo veneni, morſuſque beſtiolarum in quorumdam membrorum everſionem pertinebunt; ſales diverſarum infantilium temperierum, ubi novo adhæſu novum cum inimicis induerunt ingenium, abnuunt naturæ communionem; promiſceri negant, ac fæderari: quare pro comparata ſibi qualitate vel pulmonibus, vel nervis, vel interaneis, vel renibus inſultabunt; humoreſque cogent, eliquabuntve: Paucis eſto prognoſticon, quale ſubindicant in venenatis convul-

vulſiones, anhelitus, fluxus alvi ſanguineus, ſanguinis mictus; quale multorum viſcerum phlegmone; quale morbi, ut in ſumma, qui ejuſcemodi ab conflictatione ſuboriuntur. Nec ab ipſis abſceſſibus petita conjectura eſto ſupervacua: virides, & ad nigrorem vertentes deterrimi: confluentes præ diſcretis, acuminati præ jacentibus, latiſque: qui compareant, & occultentur, præ velociter exeuntibus, continenterque patentibus iniquiores. Quid ita? Sunt abſumptæ aquæ ad humorum progreſſionem neceſſariæ, corruptique multi ſulphuris; nec non redundatioris veneni, fractarumque virium argumentum.

VII.

NE magis acutè, quàm verè diſſeruiſſe videar; debiti mei partem relinquam. Curationem appono. Retia mehercle, quibus me putant irretiri, vel hinc nimis rara, nimis exilia demonſtrabo; & me niſu fermè nullo videbunt exemptum: pergamus. *Quid agendum protinùs ab invaſione?* Cunctandum prorſus: non datum eſt Medicis variolas antevertere: cunctandum igitur; neſcimus enim quò natura vocet: per inſidias impetitur imparata; recolligit quidquid eſt virium, pugnat: nos optat ſpectatores, ut, ſi defecerit, erigamus; in pacatiores impetus revocemus, ſi nimis exarſerit. Quid ita? Ab Hippocrate

in 6. Epid. jubemur *Abſceſſus excipere, ſi eant quales oportet*. Cur non & variolas, quum & ſint abſceſſus in cute generati pro ſtimulis morſuum, & generati lege critica? Temperet Medicus ab auxiliis neceſſe eſt non ipſa modò ſub febrili judicatione, verùm etiam paulo ante ipſam: quid cauſſæ quamobrem illa variolis erumpentibus, erupturiſque perurgeat? Inanem me, nec dignum, cui credatur, exiſtiment volo; niſi rei fidem præclariorum teſtimonio ratam fecerim. Aſſertam medendi rationem offero, & ab Auctoribus quidem, qui licèt variis in regionibus, variaque innutriti philoſophia, unum omnes idemque ſentiunt, aſſeverantque. Audi Mercurialem, ipſumque me verbis ejus loquentem: *Ego omnino ſum hujus ſententiæ: in principio nullo medicamenti genere utendum eſſe: tum quia Medicus ſemper vocatur quando jam fervor, & ebullitio eſt in ſanguine: tum quia medicamenti operatio turbat naturam ab opere; quum enim motus ille ſit penè totus criticus; præceptum habemus a Medicis omnibus movente natura nihil agendum eſſe, niſi ipſa imperfectè moveat: intelligere verò, an perfectè moveat, initio non poſſumus*. Audi Liſterum: *Magna ex parte hic morbus, etiamſi contagioſus, ſalutaris eſt, quod ferè ſubitò venenum foràs, & extra habitum corporis protruditur*. Audi Avicennam: *Variolæ ſunt quaſi modus quidam criſis*. Audi Fracaſtorium: *Quum tu videris febrem eſſe*

ejuſ-

ejuſmodi, quæ eas expulſiones aut faciat, aut factura ſit, tum abſtine a medicamentis omnibus, ſed naturam ſine per ſe agere. Longum fiat, ſi velim enumerare, quot eò medicinam omnem collineant, unde non alia tibi, quàm quieſcendi præcepta conſtituas: parco pluribus, & hortor, ut ab his ne brevem quidem, uti ajunt, unguem evagêre. Illud non ignoro: Plurimos nimirùm eo ferri conſilio, ut curationem a ſanguinis detractione ſuſcipiant: Sitne id tolerandum, non mea minuti Judicis perpenſatio, ſed maximorum ſtatera definiat. Infantes cæterà ſaniſſimos, & propinato extrinſecùs veneno fatigatos quis multarit ſanguine? Febri maligniſſimæ ſive a diſſolutis, ſive a coactis humoribus quis oppoſuerit venarum pertuſuram? Verùm ſaniore conſenſu propè judicata ſeligamus. *In variolis, & morbillis*, ait Ettmullerus, *ſanguis mittendus haud venit in noſtro climate; nil enim prodeſt; ſed naturæ motum turbando, multum nocere valet*. Valſchmidius: *Venæ ſectionem meritò ſuſpendimus*. Perottus: *Venam non ſecamus; & imputamus fortunæ, ſi quando morbus in melius dirigatur*. Roſettus: *Pauci a tanto vulnere fortuitò evaſi innumeris aliis hoc indecenti remedio necatis non præferantur*. Reportarem quàm multos vellem, ſed ſanctè affirmo neminem legiſſe, qui phlebotomo uteretur, quin addiderit cautionem: *Si ſanguis nimium ferveat; ſi plethora adſit: ſi.. ſi..* lege Williſium, Syl-

vium,

vium, Dolæum, alios: Quid verò Sydenham præcipuus variolarum exactor? *In variolis diſtinctis*, inquit, *venæ ſectio ſupervacanea*. Sintne diſtinctæ, an confluentes, non ante determinare concedetur, quàm apparuerunt. Sed quis non jure ſequatur Ettmullerum, & Diemerbroek? Habet ille: *Dum jam apparere incipiunt puſtulæ, periculoſiſſimum, modò non lethale, exiſtimo venam aperire*. Hic cap. 8. de variol. *Diſcipulis meis inculcare ſoleo, ut poſtquam aliqua minima earum indicia, vel punctula rubra in corpore apparere incipiunt, a venæ ſectione prorſus abſtineant*. Infige altiùs memoriæ, ut hæc adminiculatior ſuggerat, longè aliud eſſe malis occurrere, quæ ſequuntur affectiones a viro beſtiolarum, aliud ipſi noxio ſucco ad cutim vocanti facere medicinam. Antidotum peculiare nondum novimus, nec illud majore navitate conquirimus, quòd natura perduellem liquorem videtur ſe una quàmſæpiſſimè debellare: cætera non ita propria variolarum ſunt, ut potiùs enaſcentibus hinc damnis non opponantur. Expende igitur, an alii diverſo prorſus nomine ſanguen extrahant: iis committe de venarum univerſim aperiendarum uſu diffidia; & indubitabile judica, Catanenſes Aſclepiadas, ut hiſce abſceſſibus auxilio veniant, aut faſtidire, aut formidare phlebotomum. Nec alio credi poſſunt evaſura leviſſima ſeu cathartica, ſeu vomitoria, quàm ut aggeſtam antehac imminuant pleni-

nitatem, unde præcordiorum elevationes, anxietudines, animi deliquia: proptereaque plurimum decertanti naturæ negotii. Si talia non adſint, ſub inito ad cutim motu, quis vocet ad inteſtina, quò non debet? Quis nihil timeat pulmonibus, aſperæ arteriæ, ſepto tranſverſo, atque hinc oculis, laceſſitis, terebratis, humorum accurrentium impetu diſtentis? Quis dum interanea ſcatent variolis medicamina initio non ableget? Illæ ſiquidem ab ingenio abſceſſuum ſicuti ſua ſpecie haud abludunt, ita parem cum his cruditatis, maturationis, exareſcentiæ ſtatum percurrere ſolent, uti loquitur Sydenham. Quid agas ſub cruditate? quieſce, & diceris Ægrotis cunctando ſanitatem reſtituere.

VIII.

QUid ſub humorum certamine, & venientibus in conſpectum medentium Variolis? Ex iis, quos facit medicinæ peritia clariſſimos, nemo eſt, quin ad ravim uſque clamet: neque nimis evehendam, neque deprimendam nimis ebullitionem. Quales, quoque tempore, ſint afferendæ ſuppetiæ, ſuis natura pugnans manifeſtabit indiciis: quamobrem aut fervidum ſanguen in furores urgebitur; aut mediocriter lentum in quietem noxioſiſſimam, fervoribus modò compeſcendis, exſuſcitandis modò ſtudendum eſt. Munus pri-

mum

mum aperto, ſimplicique animo determinamus impleri juſculis avenaceis, frigidis ſeminibus, nitro ſtibiato, nitri floribus, mitioribus quibuſque acidis, & pro eo quanti faciendus eſt Sydenham ipſo vitrioli ſpiritu. His addenda ſunt etiam quæ Phreneſi, Pleuritidi, Anginæ, Mictui cruento, enormi Diarrhææ ſuccurrere peculiari nomine conſueverunt; quando talia morborum genera novis pro conflictu ſalibus exorientur. Locus non patitur, ut enumeratis morbis oppoſita remedia recenſeamus: abundè eſt attigiſſe, unde magis, magiſque tibi perſuadeas, acrimoniam quandoque humorum perdomandam, ut lento pede ſudor egrediatur, non irritandos, uti ajunt, cabrones. Quando lenti, & ad coagmentum inclinaturi videbuntur humores, munus alterum exequentur; ſed non ſine maxima perpenſatione generoſiora: ipſa enim hæc, & inſigniter efficacia, & repetita phlegmonas arceſſierint. Periculi pleniſſimus aqueæ potionis defectus, qui craſſeſcente ſputo proditur ab initio, ſubſidia poſtulat, quæ poſſint etiam diluere: quamobrem teſtor laudabiliſſimè propinari emulſa ſemina Carduiben. Naſturtii, Cumini, Aniſi, a quibus profiteor non refutari conſortia liquoris Corn. Cerſuccinati; vel Sal. armoniaci dulciſſ. Inclamet quicumque pugnat rumoribus, lapidem bezoarticum orientalem adhibendum, uti præcipuum remedium, quod ſinu abſorbeat acidum, unde morbida coagulatio eſt:
Ipſe

Ipſe præſtantiorem contrayerbam aſſevero : eam te copulare antimonio diaphoretico jubeo ; aſpergere guttulis quibuſdam laudani liquidi Sidenham; formare theriaca glutinante catapotia, & labia comprimo.

IX.

UBi deſiit, ſiletve febris, & abſceſſus admodum intumuere, ferme nihil eſt offerendum, quod in celeriorem pertineat ſuppurationem. Ut amantibus pati videaris agere, lentam adjuva lapillis cancrorum, & myrrha, quæ largus aquæ cardui benedictæ hauſtus hora præcipuè ſomni proſequatur. Neſcire nequeo plurimos, quando puſtulæ ſunt depreſſiores, advocare in adjumentum *veſicantia*, quæ cantharidas excipiant; oculis enim non deſtituor, dum ipſorum medicatus objiciuntur: verùm exiſtimo non ea mente præcipere, ut ad partes extimas venenum pertrahant; ſed ut liquiditatem augeant, exagitentque ſopores inexpugnabiles. Quis meritò curet irritandas extrinſecùs fibras, quum præcipuus locus eſt ſudatoriis laxam cutim efflagitantibus? Hac præcepti medicinâ vetuimus hactenus ad componenda deliria, demulcendum ſanguinis mictum, furores humorum ſedandos, cantharidum inire periculum. Sydenham, Freind, Mortonus, alii eventus objectent feliciſſimos, ſibique perſua-

deant, quaſi certi de veritate, in multo plura veſicantia excurrendum eſſe, quando prima debellando veneno fuerunt imparia. Sum qui mirer, non laudem ſucceſſus; ſum qui ſtupeam methodum glomerandi *Epiſpaſtica Paregoricis*, *veſicatoria*, *& hauſtus ſomniferos*; Sum qui caveam alienis pedibus ambulare, oculis agnoſcere alienis; ſum per quem ſanctum velim, lætentur ſorte ſua & Medici, & Ægrotantes. Progrediamur ad externum aliud, abſceſſuum nempè foramen, quod fiat acu aurea, argentea, chalybea, & poſt ſeptimum ferè ab eruptione diem. Expertus probo, ſuſcipiendumque tibi mando Horatii Augenii conſilium, euntis poſt ſolertiſſimos Arabas, dicentiſque: *Ut non ſolùm pulchritudinem conſervemus, ſed ut citiùs a moleſtia Ægrotos liberemus, apertionem ex acu judicamus utiliſſimam*. Novi per Riverium id obſoletum evulgari, immo noxioſum, quòd curatio ſeriùs abſolvitur, fædioreſque ſuperſunt cicatrices. Do enimverò fractum fibrarum robur minus poſſe, ut cohibita materia tenuetur, & ſenſim & ſine ſenſu corpore depellatur: ſed tardiorem eruptionem, ampliores, altioreſque cicatrices non do: Sat notum cuivis introſpicienti rem profundiùs erodi cutim, ubi diutiùs eſt morata materia, unde pruritus intolerabilis: Sat notum hanc ipſam ſecuturæ ab intimioribus impedimento fore: Sat notum molliri vigilias, & quæcumque ſtimulis oboriuntur incommo-

mo-

moda. Hic, ut curioſiùs pulchritudini proſpicientibus ſatisfacias, uſurpa roſarum, fœniculi, plantaginis aquam cum diſſoluto croco, aut ſanguinem columbarum; lava oculos, & ſervaturus diceris immunes. Ad mitificandum pruritum in abſinthio multum invenies. Decoctum ficorum, & lentium ab Arabibus ad ipſos nos traductum, & commendatum ne arbitrare floccipendendum, uſu tamen interno; extrinſecus enim & repellere ad interiora poterit, & impedire cutis expirationes. Ad pedes allicere velle variolas, ut faciei decor non multum pateſcat injuriæ, inutile non modò eſt, ſed culpâ non vacat. Inflicto per beſtiolas vulnere, nemo eſt, qui veſicas opinetur antevertendas: & lentare pedes, fœmineo, bululove lacte inane inventum Diemerbroek, periculoſum Sylvius atteſtatur. Plures ne ſim prolixus omitto: Si tibi legere cordi eſt, ſatis habeas hos eſſe monſtratos: non deerunt Auctores, quibus adeſt ratio. Poſtremò quid poſt evacuatum pus? Unus, tantum inſtar in illo eſt, audiatur Paræus; & expendatur medicamentorum ingenium, ut noſtra de infectis, quibus illud opponitur, conjectura ſtabiliatur: *Vacuato pure deſiccabuntur unguento roſato addita ceruſſa, lythargirio, aloe in pollinem tritis, cum croci tantillo: his enim non ſiccandi modò, ſed & carne implendi vis ineſt. Eodem conſilio farina hordei, & lupinorum diſſolvitur in aqua roſarum, & cum tenui linteo inunguntur partes æ-*

græ.... Partes prurientes ſovendæ decocto Biſmalvæ, hordei, & lupinorum adjecto ſale: Excoriatæ cuti medendum eſt unguento albo Rhaſis camphorato, addita pulveris aloes, & cinnaberis, vel deſiccativi rubri portione. Et cur prætercam Amatum Luſitanum, qui Gulielmo Placentino Duce determinat ſulphure cum aqua roſarum optimum ſuppeditari linimentum?

X.

Reſtat, ut de translatu variolarum, qui per artem fit, aperiam quid mea ferat ſententia. *Inoculationem*, *Inſitionem*, *Tranſplantationem* vocent, perinde eſt: elegantiſſimè certè deſcribunt Harris, Caſtro, le Duc, & felicibus, plurimiſque confirmant eventibus. Pus e variola vividiore defertur in vulneratas imperio medico ſani pueri fibras, ut hæ tegantur dimidia juglandis parte ad horas aliquot: poſthac expectentur ſeptimo, octavo, nono variolæ. Sed quorſum tanta ſolertia? Ut pueris caveant a confluentibus, & iniquioribus; non alio enim tempore translatum exequuntur, quàm quum ſunt benigniſſimæ; ſtent ſua cuique experimenta, ſuaque medicina. Qui nos temporibus anteceſſerunt Catanenſes, imitati Duces alienigenas in opus venere, ſed infelici ſidere: propterea inventum audaciæ pleniſſimum nobis inculcavere. Docet Harris; *Con-*

ſtantinopolitanos, *quò meliùs explorarent an variolæ poſſent poſtea corripere priùs*, *infectum bis*, *vel ter inoculaſſe eundem hominem*, *ſed illud ſemper tentatum irrito conatu*: Verùm non negat contrarium aliquando contingere, ideoque operam perdi, & toleratum laborem in irritum cadere, quia ſubeudus eſt novus, redeunte contagione. Si non omnes pueri, non unam degentes ætatem impetuntur: cur in variolas pertrahemus, quos illæ prætermiſerunt? Et quas in anguſtias cogemus beſtiolas, beſtiolis cumulantes? Non unum externum virus, ſed puerilis temperamenti etiam ſtatus, oportet conſideretur. Cùr urgebimus beſtiolas, quò non alliciuntur? Enecabuntur ſanè ſub valida, & pabulum negante natura: ubi pabulum nec apprimè perfectum, nec opiparum alio futuro conflictu non indubitatè liberabunt vulneratos pueros: Hos demùm in malignam febrem præcipitabunt nullis veſiculis excitatis, ſi proni fortunâ in illam fuerint. Ne multa, malum ſibimet arceſſant alii; nobis eſto ſatiùs, atque conſultiùs, quum effugere non valemus, admittere.

Hæc dicere habui de variolis, hæc alta tibi mente reponenda præcipio. Doctrinam, quam ratam teſtor, & experientiæ reſpondentem, confirmabo tibi exercitatione medendi, ſi me tuis profectibus ducem ſervaverit Deus. Quicumque te opinionis hujuſce cauſſa derideat, contemptu

præ-

prætereatur, quoad meliora ſuppeditet. Invidos virtuti ſerviendo torquebis, & eorum felle conſperſus oculos, quæcumque objectabuntur, perſpicaciùs aſſequere.

VA115 34645